

Alte Drucke

Exercitatio Philosophica Continens Quæstiones nonnullas, quarum genuinus sensus juxta mentem R. Cartesii candidè & sincerè investigatur ...

Schotanus, Johannes Schotanus, Johannes

Franequeræ, 1682

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-70429

361

EXERCITATIO
PHILOSOPHICA

Continens

Quaestiones nonnullas, quarum genuinus
sensus juxta mentem R. Cartesii candidè &
sincerè investigatur & explicatur.

DISP. II.

QUAM
SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Acutissimiq; Viri

D. JOHANNIS SCHOTANI
à STERRINGA,

Art. Lib. Mag. Philosophiæ Doctoris
& Professoris Ordinarii,

Publica disquisitioni subicit

JACOBUS, Vander WAEYEN

Leovard. Fris.



FRANEQUERÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS GYSELAER, Illustrium Frisæ
Ordinum & eorundem Academiæ Typogr. Ordinar. 168a.



Amplissimis Consulissimis Spectatissimisque

VIRIS.

ARNOLDO Vander **WAEYEN**,

Rerum Societatis Indicæ apud Amstelodamenses Præfecto Solertissimo.

WILHELMO Vander **WAEYEN**,

J. U. D. & Caesarum apud eodem Patrono Æquissimo Fidelissimo Patruis omni veneratione prosequendis.

Hanc Disp. Philosophicam

D. D. D.

JACOBUS Vander **WAEYEN**,

Resp.

Quæstio Secunda: *An asserat nos habere ideam Dei adequatam, id est, talem quæ omnes Divina natura perfectiones, ut in se sunt, exactè representat, exprimit & comprehendit?*

I.

ARrogans hæc & impia ab adversariorum calamis non rarò ascripta Cartesio legitur sententia; sed quæ aded aliena est ab illius mente, ut nemini, nisi præjudiciis prorsus infatuato, vel suspicio opinionis aded male sanæ è scriptis philosophi suboriri valeat; illa enim rationibus & testimoniis aded manifestis contrariam defendunt veritatem, ut ea vel lippienti clarè sese ingerat: aded ut irritus prorsus labos esset genuinam Cartesii mentem à calumniis impostorum vindicare, nisi refractarii hostes convincendi, & ignari scriptorum Cartesii instruendi essent lectores. In horum itaque gratiam, quædam ex Philosophematis Renati selecturi sumus loca, in quibus apertissimè, nos ideam Dei adequatam habere, negat.

II. Caligantis autem ingenii nostri in contemplatione Divinæ Majestatis aciem & imperfectam admodum in hæc vitâ Dei cognitionem agnoscit, dum pio hoc epilogo tertiam Meditationem concludit, inquit: *Placet hic aliquandiu in ipsius Dei contemplatione immorari, ejus attributa apud me expendere, & immensi hujus luminis pulchritudinem,*

quantum caligantis ingenii mei acies ferre poterit, in-
 ueneri, admirari, adorare. Ut enim in hac sola divina
 majestatis contemplatione summam alterius vite felici-
 tatem consistere fide credimus, ita jam ex eadem licet
 multo minus perfectam maximam, cujus in hac vita ca-
 paces simus, voluptatem percipi posse experimur. Hæc
 verba Christiano, eoque orthodoxo dignissima cæ-
 lestem spirant sapientiam, ad quam relata omnis
 omnium gentilium cognitio, nil nisi meræ sunt
 tenebræ & spississima profundæ ignorantia caligo.
 Notatu dignissima in hanc rem quoque sunt ver-
 ba, quæ inculcat part. 1. artic. 24. 25. 26. in
 Principiis: Iam verò, inquit, qui Deus solus
 omnium, quæ sunt aut esse possunt, vera est causa;
 perspicuum est optimam philosophandi viam nos sequen-
 turos, si ex ipsius Dei cognitione rerum ab eo creatura-
 rum explicationem deducere conemur, ut ita scientiam
 perfectissimam, quæ est effectuum per causas, acquiramus.
 Quod ut satis tutò & sine errandi periculo aggre-
 diamur, eâ nobis cautelâ est utendum, ut semper quam
 maximè recordemur, & Deum auctorem rerum esse
 infinitum, & nos omnino finitos.

Ita si forse nobis Deus de seipso, vel aliis aliquid re-
 velet, quod naturales ingenii nostri vires excedat,
 qualia jam sunt mysteria Incarnationis & Trinitatis,
 non recusabimus illa credere, quamvis non clarè in-
 telligamus; Nec ullo modo mirabimur multa esse, tum
 in immensâ ejus naturâ, tum etiam in rebus ab eo cre-
 atis, quæ caput nostrum excedunt.



Ita nullis unquam fatigabimur disputationibus de infinito: Nam sane cum finis finiti, absurdum esset nos aliquid de ipso determinare, atque sic illud quasi finire ac comprehendere conari.

Annon omnis qui seposito partium studio hæc legerit & perpenderit verba evidentissimè perspicit, quam falso Cartesio impingatur, quod affirmet, nos habere notitiam à naturâ inditam sive ideam, quæ Divinam essentiam, ut in se est, perfectè exprimat. Anxiè enim inculcantem eum audimus, hanc tanquam summam & primariam altissimè imprimendam esse in philosophando menti nostræ regulam; Deum autorem rerum esse infinitum, & nos omninò finitos. Adèò ut immensam inter nostram & Dei naturam, nostram & Dei cognitionem intercedere distantiam disertè doceat; Deum enim prorsus esse infinitum & immense naturæ, nos omninò finitos & limitatæ admodum cognitionis, adèò ut multa in immensâ Dei naturâ, & operibus ab eo creatis occurrant, quæ captum nostrum longissimè exsuperent. Cum enim jam sciam, inquit Medit. iv. naturam meam esse valde infirmam & limitatam, Dei autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio innumerabilia illum posse quorum causas ignoro. Et hinc infert credenda esse omnia, quæ à Deo revelantur, quamvis naturales ingenii nostri vires excedant, nec à nobis clarè intelligantur, uti mysteria Incarnationis & Trinitatis. Quinimo de infinito non esse

disputandum, quoniam finiti sumus, qui stolidè & nimis audacter de infinito aliquid determinare tentaremus, quoniam infinitum quasi finire ac comprehendere conaremur. Quo discursu quid verius, quid modestius, quid cum sanâ Theologiâ & Philosophiâ convenientius dici possit non video. Respondent hæc apprimè iis, quæ habet Augustinus in Dialecticâ: *Namque disserendi potens, potenter quoque dubia desinens, cunctas scripturas evibrans & eviscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cum in Divinitatem intendit, tantâ Majestatis luce repercussâ parvidum caput tremefacta reflectit: atque in abdita mundana sapientia fugiens delitescit, dissolutisque syllogismorum nexibus stulta obmutescit.*

III. Quinimo & geminâ ratione, alterâ ex naturâ nostrâ, alterâ ex Dei essentiâ depromptâ evincit nos Divinam naturam comprehendere non posse, tantum abest ut ideam Dei exactam nos habere asserat. Ex parte autem nostri, quia limitata & finita naturæ sumus, fieri nequit, ut comprehendamus Deum naturâ infinitum, quoniam enim *comprehendendi vox limitationem aliquam designat, fieri non potest, ut spiritus finitus (uti mens nostra & angelica) Deum, qui infinitus est, comprehendat.* Verba sunt Cartesii in Epistolâ Responsoriâ ad Instantias Gassendi. Ex parte autem Dei repugnat quoque eundem à nobis infinitis comprehendi, quoniam, ut inquit Cartesius Epist. civ. part. 1. *Desinere*
esse

esse infinitus, si illum possemus comprehendere, nos enim cum determinaremus ac quasi finiremus, et comprehendere possemus.

IV. Et profectò si antagonista philosophi nostri nunquam fatigissent, ut cognoscerent, quæ cognitio adæquata sit & à Cartesio esse statueretur, tam impudentis criminationis pudore suffunderentur, si mica honesti in eorum mente residua esset. *De autem cognitio aliqua sit adæquata, ait in Resp. Quartis, debent in eâ contineri omnes omninò proprietates, quæ sunt in re cognitâ: Et idcirco solus Deus est, qui novit se habere cognitiones rerum omnium adæquatas.*

Intellectus autem creatus, etsi forte revera habeat, rerum multarum, nunquam tamen potest scire se habere, nisi peculiariter ipsi Deus revelet; ad hoc enim ut habeat adæquatam alicujus rei cognitionem, requiritur tantum ut vis cognoscendæ quæ in ipso est adæquet istam rem, quod facile fieri potest: ut autem sciat se illam habere, sive Deum nihil amplius posuisse in illâ re quam id quod cognoscit, oportet ut suâ vi cognoscendæ adæquet infinitam Dei potestatem: quod fieri plane repugnat. Quinam jam ad eò fatuus vel malignus, ut Cartesio imputare audeat ipsum statuisse nos ideam Dei adæquatam habere? Existimantne illi homines Cartesium statuisse in nostrâ ideâ sive notitia omnes omninò perfectiones contineri, quæ continentur in ipso Deo? id enim ad cognitionem adæquatam requiri dicit. Putantne eum affirmare nostram cognoscendæ vim adæquare ipsum Deum?

Nimis

Nimis profectò insanit, qui de philosopho sano ad-
 dedò insulsè sentit. Anxiè enim jam supra inculcan-
 tem audivimus, nos memores esse debere, Deum
 esse infinitum, & nos omninò finitos: Intelle-
 ctum spiritumque finitum infiniti Dei capacem non
 esse. Multa esse in immensâ Dei naturâ, imò &
 in ipsis operibus ab eo creatis, quæ ingenii nostri
 vires excedunt. Disertè insuper hoc loco affirmat
 nos non posse affirmare, nos ullius rei (etiam extra
 Deum, quantò minus ipsius Dei?) adæquatam
 habere cognitionem, nisi hoc Deus revelet; jam
 verò quia Deus non revelavit, nos habere sui co-
 gnitionem adæquatam, sed contrarium: hinc con-
 trarium quoque affirmare tenemur juxtâ philoso-
 phum. Et denique disertè dicit, fieri planè repu-
 gnare, ut vi nostra cognoscendi infinitam Dei
 potestatem adæquemus, unde irrefragabiliter con-
 cludendum, nos igitur Deum nequaquam nostrâ
 cognitione comprehendere, in quo infinitæ quoque
 aliæ, præter ipsius potentiam incomprehensibilem,
 sunt perfectiones & virtutes *ἀνεξάνιστοι*.

V. Cæterum non tantum solidis & evidentibus
 rationibus, sed expressissimis insuper Philosophi
 dictis hæc falsa de Dei adæquatâ in nobis ideâ cri-
 minatiò repugnat. Ipsissima enim Cartesii verba sunt
 in Responſionibus ad secundas Objecſiones: *Deni-
 que cum Deus dicitur esse incogitabilis, intelligitur
 de cogitatione ipsam adæquatè comprehendente, non
 autem de illa inadæquatâ quæ in nobis est, & quæ
 sus-*

Disp. II. Resp. JACOBO Vander WAEYEN.

sufficit ad cognoscendum ipsum existere. Et Gassendo
opponenti, Eum qui infinitum quid dicit, attribuire
rei quam non capit nomen quod non intelligit. Re-
spondet Cartesius: Non distinguis intellectiōem mo-
dulo ingenii nostri conformem; qualem de infinito nos
habere unusquisque apud se satis experitur, à conceptu
rerum adæquato, qualem nemo habet non modo de in-
finito, sed nec forte etiam de ullâ alia re quantumvis
parva. Imo art. 54. Part. I. PP. disertè monet, ne
existimemus nostram ideam adæquatè omnia quæ
in Deo sunt exhibere: possumus habere, inquit,
ideam claram & distinctam substantiæ cogitantis increa-
tae atque independentis, id est, Dei: modo ne illam adæ-
quatè omnia quæ in Deo sunt exhibere supponamus.
Nota Lector insignem philosophi modestiam, quâ
non tantum disertè negat nos Dei, sed præterea
nec affirmare audet, nos ullius rei, quantumvis
parvæ, adæquatum habere conceptum. Nota è con-
tra adversariorum insignem impudentiam Philoso-
pho in os obloquentium & sententiam obrudentium,
quam toties evidentissimis rationibus & di-
sertissimis verbis refutat & proscribit. Plura ejusmo-
di in hanc rem è philosopho producere possem loca,
sed vel in antecessum adducta sunt, vel in progressu
adhuc alleganda venient. Æquanimò Judici jam ci-
tata sufficiunt, perverso ne infinita quidem.

VI. Quinimo eam arrogantiam, quâ homo si-
bi tantam vim & sapientiam ascribit, ut quidam
Deus facere possit, ac debeat, determinare & com-

B

pre-

prehendere conetur, tanquam abominandam Atheorum jaſtantiam deteſtatur, admonetque ut memores ſimus, mentes noſtras conſiderandas eſſe ut finitas, Deum autem ut incomprehenſibilem & infinitum; hoc enim medio Atheorum impias adverſus exiſtentiam Dei objectiones facile dilui poſſe. En verba Philoſophi ex Præfatione in Meditationes: *Ea omnia, inquit, qua vulgò jaſtantur ab Atheis ad exiſtentiam Dei impugnandam, ſemper ex eo pendunt, quod vel humani affectus Deo aſſignantur, vel mentibus noſtris tanta viſ & ſapientia arrogetur, ut quidnam Deus facere poſſit, ac debeat, determinare & comprehendere conemur; adeò ut, modò tantum memores ſimus, mentes noſtras conſiderandas eſſe ut finitas, Deum autem ut incomprehenſibilem & infinitum, nullam iſta difficultatem ſint paritura.*

VII. Ne tamen frontem penitus perfricuiſſe & ſententiam Cartefio falſò impactam è proprio cerebro commenti eſſe videantur, criminationis ſux fundamentum ſe habere arbitrantur in Reſponſionibus Quintis Cartefii ad Gaſſendum ſcriptis, & quidem in his verbis: *Unum monebo de ideâ infiniti, quam aiſ (Gaſſende) non poſſe eſſe veram, niſi comprehendam infinitum, digne poſſe ad ſummum me cognoſcere partem infiniti, & quidem partem minimam, que non melius infinitum refert, quam exigui capilli effigies hominem integrum repræſentat. Moneo, inquit, è contrâ planè repugnare, ſi quid comprehendam, ut id, quod comprehendendo, ſit infinitum: idea enim infiniti*

ut sit vera nullo modo debet comprehendi, quoniam ipsa incomprehensibilitas in ratione formali infiniti continetur, & nihilominus est manifestum ideam quam habemus infiniti non representare tantum aliquam ejus partem, sed revera totum infinitum eo modo quo debet representari per humanam ideam, etsi proculdubio alia multo perfectior, hoc est accuratior & distinctior haberi posse à Deo aliàve naturâ intelligenti, qua sit humana perfectior: Eadem ratione quâ non dubitamus quin geometrica imperitus totius trianguli ideam habeat, cum figuram esse tribus lineis comprehensam intelligit, etsi à geometris alia multa de eodem triangulo cognosci possint, atque in ejus ideâ animadverti, qua ab illo ignorantur. Ut enim sufficit intelligere figuram tribus lineis contentam ad habendam ideam totius trianguli, sic quoque sufficit intelligere rem nullis limitibus comprehensam, ut vera & integra idea totius infiniti habeatur. In toto autem hoc responso nec vola nec vestigium de adæquatâ Dei in nobis ideâ occurrit. Trahunt eo, per plagium, ut ajunt Jureconsulti, à reliquo responsi corpore divellentes, hæc verba: Nihilominus est manifestum ideam quam habemus infiniti non representare tantum aliquam ejus partem, sed revera totum infinitum: ex quibus falsam illam jam sæpius dictam Cartesio sententiam temere affricare allaborant. Sed si candidè & sincerè agere voluissent ex hoc ipso loco dilucidissimè perspexissent, Philosophum neutiquam ideam Dei adæquatam asseruisse hominibus. Discutiamus locum paulò peni-

tius, ut quis sit genuinus scopus & sensus manifestò pateat.

Vl. Objiciebat *Gassendus*, ideam infiniti non posse esse veram, nisi infinitum comprehendamus, sive omnia quæ in infinito sunt exactissimè & intimè pernoscamus. *Cartesius* contra respondet, repugnare ut infinitum comprehendamus, quoniam id quod comprehendimus infinitum esse nequit; rationem addit, quoniam ratio formalis sive natura & essentia infiniti ea est, ut sit incomprehensibile, sive ut propria ipsius verba sonant; quoniam ipsa incomprehensibilitas in ratione formali infiniti continetur. Et mox subdit: Ideam tamen quam habemus infiniti non tantum partem aliquam infiniti, sed revera totum infinitum representare. Hæc concoquere nequeunt illi homines arguuntque in his Philosophum asserere nos adæquatam & exactam Dei infiniti habere ideam. Sed ex antecedentibus jam manifestum est Philosophum non adæquatam representationem totius infiniti, sed inadæquatam intelligere; & mox quoque addit ideam infiniti quam habemus totum infinitum representare, eo modo quo debet representari per humanam ideam id est ut thesi superiori se explicuit, per cognitionem inadæquatam, qua in nobis est; sed non per conceptum adæquatam, qualem nemo habet; & id factis quoque inculcat hoc ipso loco, dum ait porro, eam quam habemus infiniti ideam ita representare infinitum, ut à Deo aliâve natura intelligente, qua sit humana perfectior, idea quoque perfectior id est accuratior

vaior & distinctior haberi possit. Si enim nostra id est humana infiniti idea juxta Cartesium adæquata sit. id est talis ut totum infinitum comprehendat & quicquid in eo est plenissimè exhauriat, quâ ratione asserit in Deo vel aliâ creatura intelligente, homine perfectiore, perfectiorem dari posse infiniti ideam. Potestne adhuc perfectior cognitio dari, quam ea quæ rem totam comprehendit & plenissimè exhaurit? solvant hæc antagonistæ si viri esse volunt, aut fateantur Cartesium nobis etiam hoc ipso loco ideam Dei non adæquatam asseribere. Porro exemplum de ideâ trianguli eam, quam explicuimus Cartesii esse mentem perspicuè declarat; Is enim qui novit infinitum esse ens sive rem nullis limitibus comprehensam, integrum infinitum intelligit, licet integrum non comprehendat vel conceptu suo adæquet & exhauriat

VIII. Sed postremum hoc non capiunt aut sanè capere nolunt adversarii; & hinc evata est illa in Cartesium calumnia. Sed si vel minimum operæ in inspicendo Cartesio impendere voluissent, (ut sanè æquum alicujus causæ judicem decet) ex variis locis differentiam inter rem totam intelligere vel inter eandem totam comprehendere, à Philosopho factam & dilucidè explicatam esse, facillimè observâssent; atque ita intellexissent, quâ ratione idea infiniti non partem tantum, sed totum infinitum ostendat, cum interim idea nequaquam adæquata sit sive infinitum comprehendat. Sed detestant

tractant hunc laborem, ne detectâ veritatis luce
 mendaciorum tenebræ dispellantur. Inculcat au-
 tem discrimen inter τὸ comprehendere & τὸ intel-
 ligere sive cogitatione attingere, circa finem Me-
 ditationis tertîæ, inquit: *Agnosco fieri non posse,*
ut existam talis natura qualis sum nempe ideam Dei in
me habens, nisi revera Deus etiam existeret, Deus,
inquam, ille idem cujus idea in me est, habens om-
nes illas perfectiones quas ego non comprehendere, sed
quocumque modo attingere cogitatione possum, & nul-
lis planè defectibus obnoxius. Et Epist. 16. Part. 11.
Variis in locis inculcavi, de iis que ad Deum vel in-
finitum spectant, non quid comprehendere possimus, cum
sciamus illa non debere à nobis posse comprehendi; sed
tantum quid certâ aliquâ ratione attingamus, esse con-
siderandum. Rursumque Epist. 111. Part. 11. Au-
gustini locus, nempe Deum esse ineffabilem, pendet
tantum à distinctiunculâ, que intellectu facilis est,
non possumus omnia, que in Deo sunt verbis comple-
ti, nec etiam mente comprehendere, ideoque Deus est
ineffabilis & incomprehensibilis; sed multa tamen sunt
reverâ in Deo sive ad Deum pertinent, que possumus
mente attingere ac verbis exprimere, imò etiam plu-
ra quam in ulla aliâ re, ideoque hoc sensu Deus est
maximè cognoscibilis & effabilis. Quin & in Epist.
cx. Part. 1. adeò dilucidè explicat, demonstrat, &
similibus declarat, quænam inter comprehensionem
& intellectionem infiniti intercedat differentia, ut
nemo, nisi qui datâ operâ cæcutiat, id ignorare
 pos-

possit: *Dico autem me id scire, inquit, non vero me id concipere, aut comprehendere sive concipere: eodem nimirum modo, quo montem manibus tangere possumus, sed non ut arborem aut aliam quampiam rem brachiis non majorem amplecti: comprehendere enim est cogitatione completi; ad hoc autem ut sciamus aliquid, sufficit ut illud cogitatione attingamus.* Fufius autem hæc diducit in Responsione ad Objectiones primas, quæ, quia totum hæc de negotium clarissimè declarant, adjicere non pigebit, num forte adversarios ad agnitionem veritatis perducere valeamus: *Itaque imprimis hic dicam, inquit Philosophus, infinitum quæ infinitum est, nullo quidem modo comprehendis, sed nihilominus tamen intelligi, quatenus scilicet clarè & distinctè intelligere aliquam rem talem esse, ut nulli planè in eâ limites possint reperiri, est clarè intelligere rem illam esse infinitam: Et quidem hic distinguo inter indefinitum, & infinitum, illudque tantum propriè infinitum appello, in quo nullâ ex parte limites inveniuntur; quo sensu solus Deus est infinitus: illa autem in quibus sub aliqua tantum ratione finem non agnosco, ut extensio spatii imaginarii, multitudino numerorum, divisibilitas partium, quantitatis, & similia, indefinita quidem appello, sed non infinita, quia non omni ex parte sine carent. Præterea distinguo inter rationem formalem infiniti, sive infinitatem, & rem quæ est infinita; nam quantum ad infinitatem, etiamsi intelligamus illam esse quam maximè positivam, non tamen nisi negativo quodam modo intelli-*

gimus, ex hoc scilicet quod in re nullam limitationem advertamus; ipsam vero rem qua est infinita positivè quidem intelligimus, sed non adequatè hoc est non totum id quod in eà intelligibile est comprehendimus, sed quemadmodum in mare oculos convertentes, etsi non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem metiamur, dicimur tamen illud videre: & quidem si eminus respiciamus, ut quasi totum simul oculis complectamur, non videmus nisi confuse, ut etiam confuse imaginamur chiliogonum. cum omnia simul ejus latera complectimur; sed si cominus in aliquam maris partem obtutum desigamus, talis visio potest esse valdè clara & distincta; ut etiam imaginatio chiliogoni, si tantum ad unum aut alterum ejus latus se extendat. simili ratione Deum ab humanà mente capi non posse cum omnibus Theologis concedo & ne quidem etiam distinctè posse cognosci ab eis qui totum simul conantur animo complecti, & tanquam è longinquo respiciunt. Qui autem ad singulas ejus perfectiones attendere, illasque non tam capere, quam ab ipsis capi, & intellectus sui vires omnes in iis contemplandis occupare conantur, illi profectò multò ampliorem facilioremque materiam clara & distincta cognitionis in eo inveniunt, quam in ullis rebus creatis. Ego autem ubicunque dixi Deum clarè & distinctè posse cognosci, non nisi de hâc finitâ, & ad modulum ingenii nostri accommodatâ cognitione intellexi. Neque etiam ad veritatem eorum qua asserui, aliter intelligere opus fuit, ne facile apparebit si advertatur duobus tantum in locis me
hac

Disp. III. Resp. JACOBO Vander WAEYEN.

hac dixisse; nempe (Medit. 111.) ubi quaestio erat
utrum in ideâ, quam formamus de Deo, aliquid reale,
vel sola rei negatio contineatur, ut forte in ideâ frigo-
ris nihil aliud est quam negatio caloris; quâ de re nul-
lum dubium esse potest: & (Medit. 1v.) ubi aeterni
existentiam ad rationem Entis summè perfecti non mi-
nus pertinere, quam tria latera ad rationem triangu-
li, quod etiam potest absque adequatâ Dei co-
gnitione intelligi. Et in Epist. cxix. P. 1. perspicuè
quoque ostendit, quomodo Deum non compre-
hendentes, ejus tamen naturam verè intelligimus.
Nempe sufficit me intelligere hoc ipsum quod Deus
à me non comprehendatur, ut Deum juxta rei veri-
tatem, & qualis est intelligam; modo præterea judi-
cem omnes in eo esse perfectiones quas clarè intelligo,
& insuper multo plures, quas comprehendere non pos-
sum. Quibus verbis explicat locum Meditationis ter-
tiæ, quæ ad rem præsentem explicandam maxime
quoque facit, quippe quo veritatem, claritatem &
distinctionem ideæ Divinæ præ aliis ideis defendit
Philosophus, simulque ostendit, quæ ratione Deum
non comprehendentes, nec comprehendendi ca-
paces, tamen sufficienter ejus naturam pro ratio-
ne finitæ nostræ mentis intelligimus: Est, inquam,
ait, hæc idea Entis summè perfecti & infiniti, ma-
ximè vera; nam quamvis forte fingi possit tale ens non
existere, non tamen fingi potest ejus ideam nihil rea-
le mihi exhibere, ut de ideâ frigoris antè dixi. Est eti-
am maximè clara & distincta, nam quidquid clarè &
distin-

distinctè percipio quod est reale & verum, & quod perfectionem aliquam importat, totum in eà continetur; nec obstat quod non comprehendam infinitum; vel quod alia innumera in Deo sint, quæ nec comprehendere; nec forte etiam attingere cogitatione ullo modo possum; est enim de ratione infiniti, ut à me quifum finitus non comprehendatur: & sufficit me hoc ipsum intelligere, ac judicare illa omnia quæ clarè percipio & perfectionem aliquam importare scio, atque etiam forte alia innumera quæ ignoro, vel formaliter vel eminenter in Deo esse, ut idea quam de illo habeo sit omnium quæ in me sunt maxime vera, & maxime clara & distincta.

I X. Nullus dubito, quin judici præjudiciis & affectibus non corrupto omnis de Cartesio hæc in parte malè suspicandi exemptus jam sit scrupulus. Unicum restat, ut ostendamus & convincamus ipsos adversarios cognitioni de Deo naturali ascribere omnia, quæ Cartesius ejusque genuini assēctæ se de Deo per suam ideam cognoscere profitentur. Subducamus igitur paucis quæ de Deo se scire scribit Cartesius: „ Profitetur inprimis se Deum non „ comprehendere id est non adæquatè hoc totum „ quod in Deo est intelligere. Deum enim infinitum ab humanâ mente, quæ finita est, capi non „ posse: & ex eo ipso tamen quod sciat se Deum „ non comprehendere, se sufficienter intelligere „ quod Dei essentiam juxtâ rei veritatem & qualis „ sit intelligat, quod nempe sit infinitus & incom-

„ pre-

„prehensibilis; & præterea, se cognoscere Deum
 „esse Ens perfectissimum. adeò ut ejus perfectio-
 „ni nihil addi possit; de cujus itaque essentia sit
 „existentia, & in quo nullâ ex parte limites inve-
 „niuntur nec dantur; sed in quo omnes sunt per-
 „fectiones quas clarè intelligere possumus; & in-
 „super multò plures, quas non comprehendere,
 „imò fortè cogitatione ne quidem attingere possu-
 „mus. Atque ità ideam Dei, non partem Dei,
 sed totum Deum ostendere clarissimum est. Quo-
 doquidem autem ipsi adversarii inficiari non pote-
 runt, quin ipsi hæc omnia cognitione naturali de
 Deo percipiant, cum ipsi se Deum ut incompre-
 hensibilem & simul quoque ut Ens perfectissimum
 intelligere passim scribant; hinc satis perspicuum
 est eos revera idem de cognitione Dei naturali pro-
 fiteri cum eo, quod Cartesius unquam de ideâ
 Dei affirmavit. Adeò ut summam injuriam Philo-
 sopho manifestè faciant, quod eum ex osum redde-
 re conentur, ac si jactet se omnimodam, adæqua-
 tam omnemque Dei naturam exhaurientem & complectentem habere cognitionem; cum jam perspi-
 cuè & fusè ostenderit hanc arrogantiam & ja-
 ctantiam, tanquam *γνώσιν ψευδώνυμον*, imò dete-
 standam Atheorum impietatem ab eo semper fuisse
 proscriptam & condemnatam.

Quæstio Tertia: *An juxta Cartesium, Ani-
 ma rationalis sit cogitatio?*

I. Adeò crudè adversarii hanc proponunt quæ-
 stio-

stionem, ut falsam sententiam meliori colore Philosopho affricent; fingunt enim hanc ejus esse mentem, quod mentis humanæ essentiam nil præter mentem actionem esse asserat, quæ per se subsistentiam nullam habeat. Sed quam longè impaucta hæc Philosopho sententia à mente ipsius absit dispiciamus.

II. Cartesius mentis naturam describens nunquam ad eum crudè & durè locutus est ut dixerit, *eam esse cogitationem*; Consulamus enim loca, in quibus naturam mentis humanæ explicat. *Quid ex iis, quid antehac anima tribuebam, habeo, cogitare? hic invenio, cogitatio est, hæc sola à me divelli nequit, ego sum, ego existo, certum est. Quamdiu autem? nempe quamdiu cogito* Med. 11. In his manifestissimum est, illum suam cogitationem sive cogitare, quatenus actio sive facultas est à se quatenus subiectum agens & substantia est distinguere, & è cogitandi actione ac facultate suam existentiam certissimam esse perspicere, fieri enim non posse, quin, dum cogitat, existit. Sed fieri fortè posse, si cesaret ab omni cogitatione ut illico totus esse desineret. Cum itaque advertit cogitandi seu actionem seu facultatem à se esse inseparabilem ad eum ut semper immediatè & intimè adsit; imò cum sepositis & abdicatis omnibus nihil præter cogitationem in se idest mente suâ reperit, hinc animadvertit & concludit cogitationem attributum essentielle esse, per quod, mens sua sive humana ab omnibus alijs rebus differt, & in quò

in quò anima essentia consistit, id est, concludit mentem suam esse rem cogitantem sive rem facultate cogitandi præditam, per quam à cæteris omnibus rebus distinguitur. Nequaquam enim essentiam mentis suæ in cogitatione ità consistere affirmat Philosophus, ut substantiam sive rem seu ens per se subsistens eandem esse neget, uti objectant antagonistæ; passim enim in scriptis suis illam rem & substantiam cogitantem appellat; ità in Medit. II. disertè ait: *sum igitur præcisè tantum res cogitans, id est, mens sive animus, sive intellectus, sive ratio, voces mihi prius significationis ignotæ.* Et ne quis ex his vocibus, mens, animus, intellectus, ratio, novam cavillandi ansam arripiat, dicendo eas voces solas facultates denotare non verò res sive substantias facultate cogitandi præditas; hinc per *æλψω*, anticipationem, illi objectioni occurrit, cumque scrupulum de sensu harum vocum dubitanti-
 bus exemit, addit eqim immediatè: *sum autem res vera, & verè existens, sed qualis res? dixi, cogitans.* Unde etiam Hobbes de his vocibus difficultatem moventi respondet auctor, *Non intellexi per ista nomina facultates sed res facultate cogitandi præditas, ut per duo priora, puta mens, animus, vulgò intelligitur ab omnibus; & per duo posteriora, nempe intellectus, ratio, frequenter: hacque tam expresse totque in locis explicui ut nullus videatur fuisse dubitandi locus.* Et in III. Medit. circa initium inquit; *Ego sum res cogitans, & mox rursus*
sum

sum certus me esse rem cogitantem, Et in Respp. Quintis num. 4. Mentem non ut partem animæ, sed ut totam illam animam, quæ cogitat, considero. Hares verò, inquis, an ergo existimem animam semper cogitare? sed quidni semper cogitaret, cum sit substantia cogitans? Idem in Responſionibus ad Objectiones septimas ad lit. FF. se rem cogitantem appellat; & ad lit. Z. Advertens nihil certius evidentiusque à me cognosci, quam quod ego cogitans existerem. & in Methodo part. IV. intellexi me esse rem sive substantiam, cujus tota natura sive existentia in eo consistit ut cogitem. Imò adeò frequenter in scriptis se rem & substantiam cogitantem appellat, ut mirandum planè sit, qua fronte asserere possint vel audeant philosophum mentis humanæ essentiam nudam facere cogitationem ita ut existentiam eidem deneget. Quà autem ratione & quamobrem mentis naturam in cogitatione tantùm consistere affirmet philosophus ex parte diximus & fusius mox dicendum veniet.

III Cæterum objiciunt Cartesium animam suam hoc sensu dixisse cogitationem, ut eam ab ipsa illa cogitatione quæ est accidens non distinguat, nec cogitationem illam à se sive mente sua; satis evidenter id patere ajunt è Meditationis II. verbis, ubi interrogat & interrogando affirmat, se à suâ cogitatione non distinguui: *Quid est, inquit, quod à me à cogitatione distinguatur? quid est quod à me ipso separatim dici possit?* Sed antea Hobbessio eadem objicienti responderat

Phi-

Philosophus: Non nego me, qui cogito, distinguui à meâ cogitatione ut rem à modo: *sed ubi quæro, quid ergo est quod à meâ cogitatione distinguatur?* hoc intelligo de variis cogitandi modis ibi recensitis, non de meâ substantia: & ubi addo, *quid, quod à meipso separatim dici possit?* significo tantum illos omnes cogitandi modos, nempe dubitandi, intelligendi, affirmandi, negandi, volendi, nolendi, imaginandi & sentiendi, in ihi inesse. In quâ responsione disertè se ut subjectum, substantiam sive rem à cogitatione suâ tanquam à modo distinguit, affirmatque varios cogitandi modos sibi inesse, non autem se ipsos illos modos esse & ab iis non distingui. *Ut enim extensio, que constituit naturam corporis multum differt à variis figuris sive extensionis modis, quos induit: ita cogitatio sive natura cogitans, in quâ puto mentis humana essentiam consistere longè aliud est quam hic vel ille actus cogitandi habetque mens à seipsâ. quod hos vel illos actus cogitandi eliciat, non autem quod sit res cogitans, ut flamma etiam habet à seipsâ, tanquam à causâ efficiente, quod se versus hanc vel illam partem extendat, non autem quod sit res extensa.*
Epist. 6. part. 2.

IV. Sed urgent & instant Cartesium Hobbesio inferenti ex ipsius scriptis; *Ego sum cogitans, ergo sum cogitatio* non negare illam collectionem. Resp. Sed tum per cogitationem Cartesius non actionem, non facultatem cogitandi, sed substantiam cogitandi facultate præditam intelligit; abstractâ cogitationis

nis voce loco mentis utens, vel potius eam admit-
tens quoniam à rebus sensibilibus cogitationes no-
stras abducere quatit. *Fateor autem ultro*, inquit,
me ad rem sive substantiam, quam volebam exuere om-
nibus iis que ad ipsam non pertinent significandam, u-
sum fuisse verbis quam maxime potui abstractis, u-
contra hic Philosophus (Hobbes) utitur vocibus
quam maxime concretis, nempe subjecti, materiæ
& corporis, ad istam rem cogitantem significan-
dam ne patiatur ipsam à corpore divelli.

IV. Verum regerunt denud, illicitum esse
novam & inauditam cogitationis voci affingere sig-
nificationem Onomasticis ignotam, in scholis Phi-
losophorum inusitatam, & à recepto loquendi usu
abhorrentem. Resp. *ὀνομαστικῶς* ut plurimum fit ab
imperitis, ideoque minus aptè sæpe rebus respondet;
Lexicographi autem secundum receptum usum ver-
ba explicant, nihil solliciti, an nomina aptè an
ineptè rebus sint imposita. Philosophi verò est mo-
nere de ineptâ illâ impositione, ne seducantur phi-
losophantes, & quamquam voces usu receptas mu-
rare ipsi non licet; licet tamen ipsi vocum significa-
tiones emendare, & rebus, quibus maxime compe-
tunt, ea applicare. Summatim, Philosophi est vocibus
vulgi loqui, sed sensu suo id est philosopho decente,
ut naturam rei quam maxime signanter exprimat
& aliis notam reddat. Quod verò philosophi Co-
gitationis voce, in emphaticâ hâc, quâ noster
utitur, significatione, usi non fuerint, non miran-
dum;

Disp. IV. Resp. JACOBO Vander WAEYEN.

dum; cum enim mentis essentia nunquam satis investigata, nec detecta nec intellecta sit, adeo ut naturam mentis in solâ cogitatione consistere clarè & distinctè perceperint eamque per hanc à rebus omnibus materialibus distinxerint; hinc Cogitationis vocem ad denotandam rem cogitantem nunquam adhibuerunt. Philosopho autem nostro graves fuere rationes, cur vocabulo illo abstractio in hoc negotio de mente humanâ usus fuit, tum ut naturam mentis à natura corporis accuratè distingueret; uti disertè eum ad Hobbesium scripsisse supra vidimus; tum ut mentem à rebus sensibilibus, quantum posset, abstraheret, quem scopum suum inter cetera esse passim monet; contrà quam facere solent illi, qui rebus corporeis mordicus inhærent & agrè imò nunquam se ab illis divelli patiuntur, statuentes omnes res, quæ dantur, corporeas esse, nullas spirituales; tum etiam quod facilius intelligimus substantiam cogitantem, & quidem *cogitationis* nomine appellatam, ut pote quæ constituit naturam substantiæ intelligentis, quam substantiam solam, omisso eo, quod cogitat. *Cogitatio & extensio*, inquit, *spectari possunt ut constituentes naturas substantia intelligentis & corporea; tuncque non aliter concipi debent quam ipsa substantia cogitans & substantia extensa, hoc est, quam mens & corpus; quo pacto clarissimè ac distinctissimè intelliguntur. Quin & facilius intelligimus substantiam extensam, vel substantiam cogitantem, quam substantiam solam omisso eo quod cogitet vel sit extensa* Nonnulla enim est dif-

D

ficul-

cultas, in abstrahendi notione substantie à notionibus
 cogitationis vel extensionis, quæ scilicet ab ipsa ratione
 san'um diversa sunt. Magis autem miror hos homi-
 nes, qui crudas barbarorum voces & solæcos avidè
 arripiunt & facile concoquunt, hanc unicam vocem
 à solitâ significatione parum obtam pragnantes ra-
 tiones in re tanti momenti inflexam tantoperè fastidi-
 re. Et quid? si nova quandoque philosopho ne-
 cesse sit fingere vocabula ubi satis apta non reperiun-
 tur, cur adeò abhorrent ab unâ voce præter com-
 munem usum aliquantò latius sumptâ? An ignorant
 Aristotelem, quem κατὰ πρόβα in plurimis sequuntur
 magistrum, scripsisse in Categoriis necesse quan-
 doque esse nova effingere vocabula. Εἰς τὴν δὲ καὶ
 ὄνομα παλαιῶν ἰσως ἀναγκάσειν, εἰὰ μὴ κείμενον ἢ ὄνομα,
 σέως ὃ ὀκείως ἀν' ἀποδοθῆν. εἰὸν τὰ πρῶτον ἔ
 πλεον
 εἰὰ ἀποδοθῆ, σὺν αἰεὶ αἰὶ ἀποδοσῆ. Interdum verò far-
 rasse nomina fingere necesse est, nempe si nomen positum
 non sit ei ad quod aptè relatio fieret ut clavus si ad navem
 referatur, non est conveniens assignatio. Sanè si in re
 levi imò pene inutuli & nugatoriâ, ut sunt ejusmo-
 di ficta relata, nobis liceat efformare vocabula, uti
 nova finxit Aristoteles, puta πρῶτον ἰσως, κεφαλῶν τῶν
 πῆρατος, nonne magis in re adeò ponderosâ, qualis est
 mentis essentia, id facere fas erit? voces sanè non
 nisi conceptuum nostrorum signa sunt, ideoque
 illæ his sunt conformandæ. Utinam autem jam ab
 antiquo res clarius & distinctius perceptæ fuissent,
 voces procul dubio aptiores essent & non tam for-
 cun-

eunda errorum seges à vocibus perperam impositis propullularet. Sed satis de his, nolumus enim cum iis.

Νομίζονται γάρ.

VI. Sed arguunt iterum, si statuamus mentis conditionem eam esse, ut omnem ejus naturam & essentiam in merà cogitatione collocemus, mentem igitur mutabilem esse, quoniam toties necesse est mentis naturam mutari, quoties variatur cogitatio. Resp. Sed jam sæpius dictum est; cogitationem, in quâ mentis essentiam collocant, non sumi pro actione vel modo, sed ipsâ re & substantiâ cogitantē, in quâ plurimâ cogitationes sive cogitandi modi & actiones reperiuntur, quæ continuo mutantur & variantur, sed propter quæ mens non magis aut minus variatur, quam corpus propter varios extensionis modos & figuras.

VII. Rursus criminantur, si mentis natura constitutur in solâ cogitatione mentem plurimis essentialibus proprietatibus privari. Resp. Falsa est hæc criminatio, quippe menti sive spiritui humano à Cartesio ejusque asseclis attribuitur, quidquid unquam illi asseripsere philosophi, quæ omnia ad cogitare sive Cogitationem referri possunt. Facultates enim intellectus & voluntatis, & infinitos ferè alios judicandi, volendi & intelligendi modos, immortalem & spirituales essentiam, vim movendi corpus, & post fata perpetuitatem adversus Atheos, Epicureos, Scepticos acerrimè & felicissimè menti asseruntur in Excessu Meditationum fusè & solide demonstratum ibimus.

VIII. Denique objectant; At si mentis essentia in cogitatione consistit, mens utique semper cogitaret; jam verò mens semper non cogitat, cogitationum enim plurimarum quas in infantia & pueritia habuifsemus, nulla superest memoria. Resp. Sed huic cæterisque objectionibus abunde satisfactum est ab ipso Renato, cujus cum mentem in his interpretari nobis scopus est, optimo jure ejus verba exprimimus. Ratio, inquit, cur credam animam semper cogitare, eadem est quæ mihi suadet lucem semper lucere, licet nulli fuerint oculi qui illam intueantur; calorem esse semper calidum, licet se nemo calefaciat; corpus sive substantiam extensam habere semper extensionem; & generatim id quod rei cujuscumque naturam constituit, illi semper inesse quandiu illa existit; ita ut longè facilius existimarem animam desinere esse, cum quis dicit illam à cogitando cessare, quam concipiam illam absque cogitatione existere. Neque porro hic ullam difficultatem video, nisi quod videatur supervacaneum, quod illa cogitet; dum nulla remanet in nobis cogitationis istius memoria: sed si attendamus mille cogitationes dormientibus nobis quolibet nocte obversari, imò & vigiles nos de mille rebus intra horæ spatium cogitare, quarum vestigium in nobis nullum relinquitur, & quarum utilitatem hæud melius percipimus, quam eorum quæ ante natiuitatem cogitare potuimus; longè facilius erit id sibi persuadere, quam ut inducamus animum substantiam, cujus natura est cogitare, existere posse sine cogitatione. Epist. cv. Part. 1. Gassendo verò eandem
diffi-

difficultatem ex oblivione cogitationum, quas infantes vel ægroti habuimus, moventi Cartesius respondet, causam assignans, quâ ratione id eveniat. *Hæres verò, inquis Gassende, an ergò existimem mentem semper cogitare: sed quidni semper cogitaret cum sit substantia cogitans? & quid miri quòd non recordemur cogitationum, quas habuit in matris utero, vel in lethargico &c. cum ne quidem recordemur plurimarum, quas tamen scimus nos habuisse, dum essemus adulti, sani & vigilantes? Ad recordationem enim cogitationum quas mens habuit, quamdiu corpori est conjuncta, requiritur ut quadam ipsarum vestigia in cerebro impressa sint, ad quæ se convertendo, sive se applicando recordatur: quid autem miri si cerebrum infantis, vel lethargici vestigiis istis recipiendis sit ineptum? Resp. Quintis.*

IX. Difficultatibus & objectionibus in antecedentibus jam sublati paucis mentem Cartesii explicemus, ut dilucidè quid voluerit, cum mentis naturam in solâ cogitatione consistere affirmavit, & quæ rationes ipsum ad id impulerint, perspiciamus. Omnis substantia creata seu mens seu corpus fuerit, in eo conceptu & naturâ convenit, quod sit res ita per se subsistens, ut solo Dei concursu egeat ad existendum. Et hæc subsistentia per se menti humanæ nequiquam denegatur à Cartesio nec ab ullo deneganda est; ideoque qui integram essentiam sive naturam mentis humanæ vult describere, uti ea in se est, & existit inter res alias crea-

tas eam quoque tenetur describere à genere, ut collocet eam inter res creatas subsistentes, & ostendat quid cum aliis rebus subsistentibus tum corporeis tum incorporeis commune habet; atque ita Mentem humanam dicit esse rem sive Ens, sive substantiam; hinc ipse Cartesius Authorem Programmatis merito perstringit, & ferè redarguit quod integram mentis naturam definiturus, nullam mentionem generis fecisset atque ità imperfectè definiisset, solam differentiam exponendo. Sed cum mens per illud genus sive naturam cum aliis substantiis communem, nempe quod sit ens, seu res seu substantia sive subjectum multarum accidentium, nec primum innotescit, quoniam per se nos non afficit, quod sit res per se existens, ut pote quod nimis generale est; sed per attributum aliquod quod in illo observamus, cognoscitur; quoniam lumine naturali novimus nihili nulla esse attributa, nec proprietates, nec qualitates; unde etiam ex attributò aliquo, quòd advertimus, firmiter concludimus rem aliquam adesse non tantum, sed præterea scimus quoque qualis naturæ res illa sit vel cogitans vel extensa. Cum autem Cartesius pro scopo haberet, ut non mentis naturam, quam cum aliis communem habet, inquireret & exponeret, sed ut illius naturam & essentiam intimè pernosceret & in quantum ab aliis rebus, præsertim corporeis distinguitur explicaret, hinc non quæsit nec expressit illud quod omnibus substantiis commune est, nempe quod sit res que ita

existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum. Sed quasi vit attributum aliquod menti humanæ proprium & in eâ præcipuum, quod & essentiam ejus constituit, & simul ab omnibus aliis rebus præsertim corporeis eandem distinguit & ad quod omnia alia attributa, quæ in illâ occurrunt, referri possunt; illud autem attributum est *Cogitatio*; nam & illa essentiam mentis humanæ constituit, & à rebus corporeis eandem distinguit, & ad illam cætera attributa, quæ in mente humanâ reperiuntur referri possunt. Audiamus hæc ipsa latius deducentem & clarius explicantem ipsum Cartesium: *Possunt*, inquit, *substantia corporea & mens, sive substantia cogitans, creata, sub hoc communi conceptu intelligi; quod sint res: quæ solo Dei concursu egent ad existendum. Verumtamen non potest substantia primum animadverti ex hoc solo, quod sit res existens; quia hoc solum per se nos non afficit; sed facile ipsam agnoscimus ex quolibet ejus attributo, per communem illam notionem, quod nihil nulla sint attributa, nullæve proprietates, aut qualitates. Ex hac enim, quod attributum adesse percipiamus, concludimus aliquam rem existentem, sive substantiam cui illud tribui possit, necessario etiam adesse.*

Et quidem ex quolibet attributo substantia cognoscitur: sed una tamen est cujusque substantia præcipua proprietas, quæ ipsius naturam, essentiamque constituit, & ad quam alia omnes referuntur. Nempe extenso in longum, latum & profundum substantia corporea naturam constituit; & cogitatio constituit naturam substantia

stantis cogitantis, Nam omne aliud quod corpori tribui potest, extensionem presupponit, estque tantum modus quidam rei extensa, & omnia, quae in mente reperimus, sunt tantum diversi modi cogitandi. Sic, exempli causa, figura non nisi in re extensa potest intelligi, nec motus nisi in spatio extenso; nec imaginatio, vel sensus, vel voluntas, nisi in recogitante. Sed è contra potest intelligi extensio sine figurâ vel motu, & cogitatio sine imaginatione, vel sensu; & ita de reliquis; ut cuilibet attendenti sit manifestum.

Atque ita facile possumus duas claras & distinctas habere notiones; sive ideas, unam substantiae cogitantis creatae, aliam substantiae corporeae; si nempe attributa omnia cogitationis, ab attributis extensionis accuratè distinguamus. Princip. Part. 1. art. 52. 53. 54. Siquis plura in hanc rem desideret legat quoque quae ad Hobbium scripsit auctor & quidem ad Objectionem ejus secundam in Medit. 11. ubi inquit: Certum est cogitationem non posse esse sine re cogitante, nec omninò ullam rem sive ullum accidens sine substantia, cui inest: Cum autem substantiam non immediatè per ipsam cognoscamus, sed per hoc tantum quod sit subjectum quorundam actuum, valdè rationi consentaneum est, & usus jubet, ut illas substantias quas agnoscimus esse subjectum planè diversorum actuum, sive accidentium, diversis nominibus appellemus; atque ut postea utrum illa diversa nomina res diversas vel unam & eandem significent, examinemus. Sunt autem actus quidam quos vocamus corporeos, ut magnitudo,

figu.

Disp. V. Resp. JACOBO Vander WAEYEN.

figura, motus, & alia omnia quæ absque locali extensione cogitari non possunt: atque substantiam, cui illi insunt, vocamus Corpus; nec fingi potest alia esse substantia qua sit subiectum figura, alia qua sit subiectum motus localis, &c. quia omnes illi actus conveniunt sub unâ communi ratione extensionis: sunt deinde alii actus, quos vocamus Cogitativos, ut intelligere, velle, imaginari, sentire, &c. qui omnes sub ratione communi cogitationis, sive perceptionis, sive conscientia conveniunt: atque substantiam cui insunt dicimus esse rem cogitantem sive mentem, sive alio quovis nomine, modo ne ipsam cum substantiâ corporeâ confundamus, quoniam actus cogitativi nullam cum actibus corporeis habent affinitatem, & cogitatio, que est ipsarum ratio communis, toto genere differt ab extensione, que est ratio communis aliorum.

X, Ex his satis perspicuum est, quam graves philosopho fuerint rationes, propter quas mentis essentiam in solâ cogitatione sitam esse affirmaverit & per cogitationem ejus naturam, tum ut in se est, tum ut contradistinctam rebus corporis explicaverit, cur *Cogitationis* voce eandem nuncupaverit, cum interim substantiam illam particularem esse, ubi ubi ratio ullatenus exigebat, probaverit & declaraverit. Nota hanc in rem verba ex Epist. 6. Part. 2. *Per cogitationem non intelligo universale quid, omnes cogitandi modos comprehendens, sed naturam particularem, qua recipit omnes illos modos, ut etiam extensio est natura, qua recipit omnes figuras.* Atque hac verba

probè notari velim à novitiis quibusdam Cartesii af-
 feculis, qui mentem humanam existimant esse sub-
 stantiam ex variis cogitandi actibus & modis par-
 ticularibus conflata, qua sententia & contra men-
 tem Philosophi est, & multis periculis obnoxia,
 & adversariis de genuinâ eaque tanâ Cartesii senti-
 tiâ matè suspicandi ansam præbet.

XI. In superioribus autem Cartesii mens candi-
 dè & , ni fallor, genuinè exposita est, si cui illa mi-
 nus placent, & rectius quid de mentis humanæ na-
 turâ cognitum habeat, impertiatur: sin minus, ve-
 ritate illâ inventâ, cujus causâ nobis & philosopho
 gratulamur, nobiscum utatur, aut saltem nòs eâ uti
 ne indignè ferat.

XII. Quoniam verò consensum veterum quam
 maximè efflagitant antagonistæ Philosophi nostri, ut-
 pote quorum autoritate sæpe magis nituntur, quam
 rationibus; libet heic adjicere insigne testimonium
 peritissimi inter Christianos Philosophi, Claudiani
 Mamerci, Episcopi Viennensis, qui circa medium
 seculi à Christo nato quinti floruit, & quem Sido-
 donius Apollinaris inter cæteros miris laudibus effert
 & in omni Poësi, Philosophiâ & Theologiâ excelluisse
 scribit. Hic autem Lib. 1. scripsit autem tres, de statu
 Animæ, cap. 24. prorsus consentiens cum Renato &
 Mentis Humanæ essentiam in cogitatione collocans,
 eandem semper cogitare, imò ipsam Cogitationem
 esse asserit, inter plurima quæ eruditè, & verissimè de
 Mentis humanæ naturâ discernit, hæc proferens.

Tu enim (Fauſte Regienſis, contra hunc enim, qui Creaturis nihil incorporei inefſe opinabatur, de ſtatu Animæ ſcripſiſſe libros Clandianum Mamercum auctor eſt Gennadius Maſſilienſis) cum dicis aliud eſſe animam, aliud anima cogitationem; melius forte dixiſſes, illa de quibus cogitat anima, cum de ſe non cogitat, non eſſe animam, ipſam verò cogitationem non eſſe niſi animam: Quia illud quod ſubjiciendum eſſe dixiſti, cætenus animam ſolere requieſcere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata poteſt, non cogitare non poteſt. Quid autem illud eſt quod ſomniare dicimur niſi quod ne ſeſſo quidem corpore in ſomnosque reſoluto anima viſ à cogitationibus vacat. Tota verò ibi eſt ubi cogitat, quia tota cogitat. Verum tu idcirco vel maximè de anima ſtatu falleris, quia aliud animam, aliud eſſe anima potentias credis. Magni autem Auguſtini cum philoſopho noſtro conſenſum oſtenderunt quoque viri Eruditi.

C O R O L L A R I A.

Triginta ab initio Paragraphos Partis II. Principiorum Nobiliſſimi Carteſii pro Viribus defendere conabimur.

EPICUM AGGRATULATORIUM.

quod

HONORIBUS

*Invenis magna quaque de se cum votivo bonorum
ommium applausu promittentis*

D. JACOBI vander WAEYEN.

Virtutum Reverendissimi sui Parentis Hæredis
individui, Problemata Philosophica ad re-
ctam rationis incudem revocata publicè
alacriter defendentis.

Quid juvat Iliacis aptare cubilia donis?
Quid rutilis ornare rogo cava tempora gem-
mis?
Quid quoque regali diademata splendida luxu
Ostentare juvat? ostro recubare superbo?
Regibus alternas quid prodest jungere dextras?
Hæc pereunt stabilesque diu superesse negantur:
At vos felices, internas cura medullas
Altior est quorum, & fixâ stat Mente repostum,
Scandere Virtutis subsellia candida diæ,
Quid ratio manifesta docet sectarier unâ:
Durat enim Virtus, durant documenta sagacis
Ingenii, nec in hæc fors quod dominetur habebit.
Ergo

Ergò WAÆYENUM fausto sub sydere natum
Quis non esse putet? quia jam juvenilibus annis
Tanta suæ præbere potest conamina mentis,
Non satis est callere sacram sinetegmine linguam,
Non satis à cultu ficto solvisse Judæos;
Abdita naturæ penetrare in corda volutat,
Aggreditur, suavi Sophiæ dulcedine captus,
Inquiret, volvitque librum meditando Sopho-
rum,
Quid verum, falsumque fiet? quid sana docebit
Quâ ratio monstrabit iter, Lumenque probabit
Naturæ? vanas nugas spernendo Scholarum.
Impiger hem rursus prodit specimenque laborum
Exhibet eximium, salebrosas sternere sylvas
Contendens, scriptisque tetris subjecta Magistri
Dogmata suscipiens, sanâ ratione tuctur.
Dignum miratu! quid non maturior ætas
Præstabit? quantumque Pater radiabit in ore?
Hæc est quam sequeris juvenis Lectissime Virtus
Quæ, *sibi sola potest laudemque Decusque parare.*
Egregia te stripe satam fortuna beavit
Majori, modò laudis amor, nec gloria cesset
Ditabit claræ generoso stemmate fama.
I sequare ætatem subtilis acumine Mentis

Fœcundam, Magnamque tuum sectare Parentem
Queam, stupet attonitus Friliis peregrinus in oris
Admirans suadam, dum mentis cernit acumen:
Hic tibi cunctorum sit norma sequenda laborum,
Ut tandem fulgens inter ceu stella minores
Fias, atque Parens vivat post fata superstes
In splendore tuo, Doctorum inscribere fastis;
Atque Caput Doctum viridi cingatur olivâ.

Sacrum esse voluit

SAMUEL KOLESERIUS

Phil. Doctor. & Lib. Art. Mag.

EIDEM.

EIDEM.

Siccine nunc iterum, Fili generose Parentis
Magni, virtutis das documenta tuæ?
Indolis eximie, juvenum lectissime, rursus
Siccine jam præbes experimenta tuæ?
Gratulor Illustri tanta de prole Parenti,
Indole de tanta gratulor atque tibi.

Eja age jam toti Belgarum gratulor orbi,
Ex te qui tandem commoda magna feret:
Belgicus an tantum? Minimè sed gaudeat
orbis

Christiadum totus dotibus hisce tuis
Fortibus atque bonis fortesque bonique creantur.
Ergo, qui tandem degeneresse potes?

Iam sequeris Patrem, quamvis *non passibus*
aquis,

Quem nemo assequitur sufficit anne se-
qui?

Quid præfens animus generosâ fronte mo-
destus?

Ecquid promittit? Nil nisi dona Patris.
Ipsius

Iphius ergo precor calces vestigia, Magnum
Filius ut verus sic referasque Patrem.
In te virtutes patriæ videantur, & hæres
Sis amplæ Magni dotis, amice, Patris.
Non ego sic solum non sic studiosa ju-
ventus,
Vota ferunt omnes talia namque boni.
Nam, sic *Templa* vovent, & sic *Academia* cla-
mat,
Nec calidum votum denegat *Aula* suum.
Ergo spei magnæ juvenis, responde bono-
rum
· Votis, ne spes hæc irrita nostra fiet.

Ita ex animo

DIDERICUS BALLEER.

Bremensis.